





*15*  
1722, 10 5  
*M*

P. 394

# PROGRAMMA I O. CHRISTIANI SCHROETERI

DOCTORIS IVRIVM ET PROFESSORIS PUBLICI  
CVRIAЕ PROVINCIALIS ATQVE SCABINATVS  
ADSESSORIS ET FACVLТАTIS IVRIDICAE  
HOC TEMPORE DECANI

## LECTIONI AVSPICALI PAVLI PHILIPPI WOLFFHARDTI

SVMMORVM IN IVRE HONORVM.

CANDIDATI CLARISSIMI

PRAEMISSVM.

---

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

*De inscriptione lxviii de ritu nuptiarum*



PROLOGIUM  
IO. CHRISTIANI  
PRAECEPTORIS  
IN LIBERIS  
ET LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS  
ET LIBERTATIBUS

\* \* \*



AM iucunda, tamque veneranda Imperatori Iustiniano habita est legum antiquarum memoria, vt ne nomina quidem earum taciturnitati tradere passus sit, sed mentionem ipsarum fieri in inscriptionibus singulorum capitum, quae ex iis in Digesta relatae sunt, voluerit. Cum primis autem illas veteris prudentiae particulas, quae, quasi fundus communis, quem interpretationibus suis excolerent, iuris auctoribus fuere, non praetermitti debere censuit. Dolendum modo, quod vel temporum iniuria, vel descriptorum oscitanti incuria, plurimum laudabili huic instituto detractum sit. Ne enim longius excurram, quam paene inextricabili difficultate hac in parte inscriptio legis xviii de ritu nuptiarum labore, res ipsa loquitur. Quae auctoritatem Pandectarum Florentinarum prae se ferunt editiones, legem ita exhibent:

## MARCIANVS LIBRO SEXTO DECIMO INSTITUTIONVM

*Capite trigesimo quinto legis Iuliae, Qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere (vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione Diuorum Seueri, et Antonini)*

( 2 )

tonini) per Proconsules, Praefidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare: prohibere autem videtur, et qui conditionem non quaerit. Evidem de MARCIANO exploratum habemus, contulisse eum huc libros Institutionum sedecim, quos et index Pandectis Pisanis praemissus memorat, et POLITIANVS \*, atque LABITVS \*\*, itemque BERNARDINVS RVTILIVS \*\*\*, IO. BERTRANDVS \*\*\*\*, GVIL. GROTIUS \*\*\*\*\*, aliquique agnoscunt. Nec mirari subeat, quod ex toto illo libro decimo sexto vix nisi unica haec lex petita sit; nam nec ex praecedente libro decimo quinto alia, quam lex viii de cessione bonorum in Digesta relata est. Quae vero sequuntur in inscriptione verba, CAPITE TRIGESIMO QVIINTO LEGIS IVLIAE, multis obstructa sunt difficultatibus: neque enim de numero capitis, quod adducitur, nec de lege ipsa, vnde istud caput de promtum, inter interpretes satis conuenit, sed adhuc sub iudice lis est. Haloandrina editio in locum capititis xxxv reponit caput liii, idque etiam BERTRANDVM \*\*\*\*\* sequi, sunt qui adserant, parum recte, ut quidem nobis videtur. SENETONII, aberrante, haud dubie, per incuriam scriptura, caput liii substituunt. Quod autem IAC. GOTHOFREDVS \*\*\*\*\* nulla auctoritate, nullo item arguento scripturam

\* Lib. 5. Epist. \*\* In Indic. iuris. \*\*\* In Vir. Iurisconf. c. 68. \*\*\*\* De Iurisperit. Lib. 1. c. 29. \*\*\*\*\* De Vit. iurisconf. Lib. 2. c. 9.  
\*\*\*\*\* d. c. 29. \*\*\*\*\* In Fontib. iur. ad L. Iul. et Pap. pag. 290. et 329.

ram sollicitarit, caput xv reponens, plane se non adsequi profitetur supremae apud Batauos curiae senator, CORNELIUS VAN BYNCKERSHOEK\*. Ut vt Gothofredus in disponendis legis Papiae capitibus, secutum se Vlpiani, Terentii Clementis, Gaii, Pauli, Marcelli, et Mauritiani libros adseueret \*\*. Ad ipsam porro legem quod attinet, Iuliam nominat inscriptio, sed nec hoc sine ambiguitate; cum enim tam quas Iulius Caesar tulit, quam quae postea a Caio Julio Octauio Augusto emanarunt, Iuliae appellantur, earumque ingens vtrinque numerus sit \*\*\*, in medio est, quam ex his inscriptio innuat. Cuiacius\*\*\*\*, nescio quo argumento ductus, non dubitauit ad legem Iuliam de adulteriis hanc referre, sed refellit eum Gothofredus. Esto autem, Iuliam Papiam Poppaeam, quae a Marco Papio Mutilo, et Quinto Poppaeo secundo, consulibus, extremis Augusti annis perlata, eoque defuncto a Tiberio repetita est \*\*\*\*\*, his verbis designari: haec enim quia pleraque legis Iuliae capita postea in eam transfusa fuerunt, promiscue tam Iulia, quam Papia appellari obtinuit \*\*\*\*\*. Tamen etiam hanc non vna ex lege conflatam latissime patere, neminem fugit, et ex

) ( 3 ) insti-

\* Obseruat, iur. Roman. Lib. 4, cap. 13. \*\* In monit. ad Lectorem p. 266.

\*\*\* vid. HOTTOmann. in legum Romanar. indic. \*\*\*\* in Papinian. Lib. 1. de.

Adulter. ad L. 13. D. de Testib. \*\*\*\*\* TACIT. 3. Annal. 25. SVETON. Lib. 5. cap. 23

\*\*\*\*\* L. pen. et vln. D. de adopt. l. 58. seqq. D. de condit. et demonstrat.

instituto docuere FRANCISCVS BALDVINVS \*, IACOBVS GOTHOFREDVS \*\*, atque KIRCH-MAIERVS \*\*\*. Vnde amplius inuestigandum, ad quodnam legis caput nostra inscriptio referri debat. Duo praecipua eius capita indicant interpres, vnum de maritandis ordinibus, alterum de aerario caducis augendo, et ob id, legis Iuliae caducariae nomine designari solitum \*\*\*\*. Quod varias caducorum caussas seu casus subtiliter ad inuentos recensuerit, et proposuerit, quodque fraudes, quae caducis ab aerario auertendis committi poterant, submouerit \*\*\*\*\*. Enim vero ad hoc caput, id quod in lege xviii nostra, de liberis a parentibus in matrimonium collocandis, et dotandis habetur, nequicquam pertinere manifestum est. Restat igitur vt ad prius istud, de maritandis ordinibus, inscriptionem aequa, ac quod sub ea continetur argumentum, respicere dicamus. Nimirum haec legis Iuliae et Papiae pars, de maritandis ordinibus, quo nomine et VLPIANO \*\*\*\*\* , et ALEXANDRO IMP.\*\*\*\*\* venit. aliis etiam legum nuptialium nomine notata, ad frequentandam multiplici prole Rempublicam, ciuilibus bellis tum temporis exhaustam, constituta fuerat. Quapropter et impedimenta nuptiarum, liberorumque fusci-

\* ad leges de iure ciuil. p. 53. seqq. \*\* d.l. \*\*\* de Papia Poppaea lege.  
\*\*\*\* VLPIANVS in fragment. rit. 28. §. 7. \*\*\*\*\* IAC. GOTHOFREDVS p. 341.  
\*\*\*\*\* In l. 6. §. vlt. D. de Iur. patr. \*\*\*\*\* In l. 6. c. de oper. libert.

fiscipiendorum remouenda, et emolumentis propositis ciues ad contrahendas nuptias, liberosque procreandos inuitandi erant. Ne quod igitur omnino nuptiis impedimentum inferretur, vt Papinianus ait \*, parentum moratorium frustrationem in liberis elocandis sic coercet lex, vt a magistratu compelli non modo ad consensum in nuptias liberorum praestandum, sed et conditio nem, quae se non offerebat, quaerendam eos de bere cauerit. Atque hoc amplius, ne oneribus, quae matrimonium ineuntibus sustinenda sunt, deterrei se paterentur, ad dotem congruam constituendam liberis, quos in potestate haberent, adigendos eos voluit. Qua ratione permoti, praeter laudatum Gothofredum, etiam ANTONIVS AVGVSTINVS \*\*, atque IVSTVS LISSIVS \*\*\*, quos BYNCKERSHOEKIVS excitat, inscriptionem legis nostrae hoc de capite accipere nulli dubitarunt. His tamen vehementer resistere videtur, quod in contextu constitutionis Diuorum Seueri, et Antonini mentio fiat, id enim in lege Iulia sic prescriptum fuisse, vt adseramus, ratio temporis non patitur. Vnde ad varios conciliandi modos deuen tum est, quos inter ille cum primis arridet, quem et saepe laudatus BYNCKERSHOEKIVS amplexus est; commistam scilicet rubricam cum lege ipsa es se, et

\* L. 72. s. 4. D. de Condit. et demonstr.

\*\* De legib. et Sclis. p. 79. \*\*\* Excurs. ad Lib. 3. Ann. Taciti.

se, et quod ad integrandam rubricam pertinebat, id decerptum inde, et ipsi legi Iuliae tributum, ac si haec a Marciano ea, qua scriptum est ratione, concepta fuisset. Ut enim haec componendi dissidii via ceteris expeditior, omniq[ue] violentia caret, ita fide antiquissimorum codicium nititur, in quibus pariter inscriptio vno contextu, MARCIANVS LIB. XVI. INSTITUTIONVM. C. XXXV. LEGIS IULIAE legitur. Nimurum Marciano, non vero legi Iuliae accepto ferendum, quod de Constitutione Diuorum Seueri, et Antonini refertur, vt parentes, qui olim ex Lege IULIA a Praetore urbano ad elocandos, et d[omi]nandos liberos cogi poterant, nunc etiam ex Imperatorum dicta constitutione per Proconsules, Praefidesque in prouinciis ad id compelli possint\*. Cum enim Marianus Imperatoribus his fato functis superuixerit, e re visum est, nouissime ab iis repetitum ius institutionibus suis, in quibus compenditum iuris totius conclusum volebat, interserere. haec in praesenti sufficient. Edifferet pluribus de hac materia, ad quam auspicalis lectio nobis breuiter delineandam subministravit occasionem, candidatus iurium nobilissimus, PAVLVS PHILIPPVS WOLFFHARDT, ad cuius vitae ante actae rationem exponendam, quod res, atque hic locus adhuc postulat, sine ulteriore operosa ambage nos accingimus.

NATVS

---

\* conf. in fragment. tit. II. §. 20.

NATVS autem est hicce noster candidatus anno restitutae salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo et nono , die calendarum Februarii septimo , Magdeburgi , quae vrbs metropolitana est ecclisia insignis . Vir summe reuerendus SIMON FRIEDERICVS WOLFFHARDT coenobii Bergensis , quod a Magdeburgo non longe abest , abbas , regis Prusiae potentissimi FRIEDERICI huius nominis primi consiliarius , ac collegii statuum prouincialium intimioris adfessor , pater ei obtigit . Mater vero illi est CHRISTINA ELISABETHA , cui parens fuit WILHELMVS LEYSERVVS , iuris vtriusque docttor , et professor in academia Wittebergensi publicus ordinarius . Hisce parentibus laudatis , quia consilium , quod de liberorum educatione liberali sumitur , rem sacram , et magni momenti esse ex aequo bonoque intelligebant , nihil magis propterea curae cordique erat , quam vt ipsum admodum adolescentulum omnibus doctrinarum elementis , quibus puerilis apud Christianos aetas initiari debet , imperfiri curarent . idcirco primum praceptoribus domesticis , deinde quoque formatoribus iuuentutis in dicto coenobio Bergensi , eorumque fidei , ac institutioni quam diligentissime commendabatur . Et quamquam pater mature , nimirum anno domini nostri IESV CHRISTI millesimo septingentesimo et nono , cum noster vix decimum aetatis attigisset annum , decederet : tamen prouidae matris sollicite filium educandi curam luctus hicce non fregit sed erexit . Nam cum a dhortisterii Ber-

gensis ludimagistris , in primis a CHRISTOPHORO SVCRONE , qui iam praeco verbi diuini Magdeburgen sis est captus ; fundamenta prima , sine quibus nihil in litterarum studiis stabile , atque durable est , fideliter essent iacta , ab optima matre , amicorum suas , qui adolescentis indolem ad litteras accommodatam iudicabant , anno post reparatam gratiam millesimo septingentesimo decimo et quarto ad gymnasium Gothanum , musis ibi litandi caussa , ablegatus est . Hic virorum clarissimorum VOCKERODTI , REICHARDTI , atque KESLERI monitis pietatis , ac sapientiae praeceptis , linguarumque notitia probe post peractum biennium confirmatus , animum ad altiora appellere , nempe ad iuris sacra , coepit . Quare anno seruatoris nostri millesimo septingentesimo decimo et sexto studiis obsequendi suis Helmstadium ad academiam se contulit , ibique , postquam a PRORECTOR E MAGNIFICO MEIBOMIO in numerum ciuium cooptatus esset , id sibi negotii credidit solum dari , vt , absolutis necessariis philosophiae institutis , prima legum , ac iurisprudentiae fundamenta , a nobilissimo , consultissimoque viro , AVGVSTINO LEYSERO , auunculo suo praeter ceteros obseruando adisceret . Hunc enim institutiones Iustiniani , Struui iurisprudentiam , et Digesta perspicue solideque explicantem audiuit , eique in priuatissimis examinibus facere satis allaborauit . Sic quoque viros consultissimos PAVLVM KRESSIVM , et FRIEDERICVM HAHNIVM doctores ac duces cepit fidelissimos . quo-

rum iste iuris naturalis principia , et doctrinam  
criminalium ; hicce vero vniuersalem , et in primis  
Germaniae historiam nostrum ordine edocuit .  
Cumque ita prope biennium in academia Iulia ex-  
pleuissest , anno post natum CHRISTVM millesimo se-  
ptingentesimo decimo octauo in academiam hanc  
nostram , telam studiorum pertexendi gratia , per-  
uenit . Quam ob rem a viro MAGNIFICO IOHANNE  
ANDREA DANZIO , theologiae doctore , eiusue iuxta  
ac linguarum sacrarum et orientalium professore ,  
qui eo ipso tempore fasces academicas tenebat , in  
studiosorum nostrorum numerum receptus statim  
lectiones et publicas , et priuatas iuris in hac aca-  
demia peritorum adire , ac frequentare aggressus  
est . In primis vero excellentissimos huius aca-  
demiae viros WILHELMVM HIERONYMVM BRVCKNERVM ,  
antecessorem , et collegiorum huius vniuersitatis  
iuridicorum adesseorem merentissimum , solida  
processus tractandi , et in foro , vt decet , versandi  
praecepta explicantem ; itemque BVRCARDVM GOT-  
HELF STRVVIVM historicum atque consiliarium Sa-  
xonicum , vt et Brandenburgo-Culbacensem etiam  
aulicum , iurium et historiarum professorem publi-  
cum celeberrimum notitiam rerum Germanica-  
rum , iusque publicum solide tradentem secutus est  
gradu citato . Iuris ciuilis , canonici , et feudalnis  
cognitionem vt sibi compararet vberiorem , FRIE-  
DERICO GOTTLIEB STRVPIO , iam ducis Saxo - Hild-  
burghusani serenissimi consiliario , priuatam imo  
priuatissimam oneram dedit . Sic , necessariis do-

Etrinis instructus, Cellam ad Alleram anno millesimo septingentesimo et vigesimo, pauloque post in patriam demigravit, vbi sub directione IOHANNIS REICHI serenissimorum Landgrauiorum Hasso Homburgorum consiliarii, et aduocati regiminis Magdeburgensis ordinarii aditus ad forum ei patefactus est, sique ad suam vtilitatem theoreticam iuris scientiam exemplis auxit. Tandem, hortatu matris, et cognatorum suas, Ienam, academiam hanc nostram, vt ad honores iuris vtriusque summos adspiraret, repetiit. Cum itaque collegium nostrum iuridicum decenter adiisset de obtainendis in iure honoribus, admissus est a nobis ad solennia examina, in quibus ita se praefitit, vt, quicquid honoris ante impensum dignis candidatis antiquo more fuit, id neutiquam denegandum huic clarissimo candidato existimauerimus. His de caussis aditum hunc laudis, atque honoris, qui optimis maxime patet, aperire, et cuncta luce, DEO suum adiungente auxilium, in laudatam legem XVIII. d. de ritu nuptiarum, praemeditatam, et elaboratam industria lectionem, vt vocant, cursoriam e cathedra nostra publica recitare eum iussimus. Nihil itaque reliquum esse censemus, quam vt PRORECTORREM nostrarae academiae MAGNIFICVM, OPTIMOS PATRES conscriptos, singulosque boros ea, qua par est, humanitate inuitemus. P. P. in academia Ienensi, tertio calendarum Decembris, anno recuperatae salutis CIC CI CC XXII.





Jena, Diss., 1722 (1)

TA - OL


Bd. 1

f

VG 18







PROGRAMMA  
I.O. CHRISTIANI  
SCHROETERI

DOCTORIS IVRIVM ET PROFESSORIS PVBLICI  
CVRIAЕ PROVINCIALIS ATQVE SCABINATVS  
ADSESSORIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
HOC TEMPORE DECANI

LECTI<sup>ON</sup>ES AVSPICALI  
PAVLI PHILIPPI WOLFFHARDTI

S V M M O R V M I N I V R E H O N O R V M .

## CANDIDATI CLARISSIMI

PRAEMISSVM.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

*De inscriptione lxviii de ritu nuptiarum*

